

343. — QUAER. 2^o *An praecepto satisfaciat audiens duas dimidias Missas a diversis Sacerdotibus tum simultanee, tum successive?*

Resp. 1^o *Neg.*, si audiat simultanee. Ratio deducitur ex interpretatione communi legis, quae confirmatur propositione 53^a ab Innoc. XI damnata, et sic sonat: *Satisfacit praecepto Ecclesiae de audiendo Sacro, qui duas eius partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.*

Resp. 2^o Si vero successive, dist. 1^o *Neg.* si Consecratio et Communio non sint in eadem parte. Ratio est, quia Ecclesia praecipit fidelibus, ut intersint integro et perfecto Sacrificio. Illud autem non habetur, nisi tum Consecratio, tum Communio in eadem Missa conveniant. — S. Lig. *Hom. apost.* n. 34. — 2^o *Affirm.* autem *probabiliter*, si Consecratio et Communio in eadem Missa reperiantur; quia tunc ratio integra Sacrificii in eadem parte habetur. — S. Lig. n. 311. — Lugo, Azor, contra alios.

QUAER. 3^o *An debeat reliqua audire, qui post Consecrationem advenit?*

Resp. Neg. probabiliter, quia iam deest essentia Sacrificii; et cessat proinde obligatio illi assistendi, cum praeceptum per hoc impleri non possit. — Mazzotta, S. Lig. n. 310., et alii (4).

QUAER. 4^o *An qui omittit levem partem Missae, teneatur supplere, si possit?*

Resp. Affirm. probabiliter, quia Missam integram audire tenetur: excipe, nisi de parte valde exigua agatur. — Sic S. Lig. n. 310. — Salm. contra alios (5). Caeterum ratio sat levis ab hac supplendi obligatione eximere potest. — V. *Casus*, n. 343. et seq.

(4) Sane nec satis probabilis est sententia: essentiam sacrificii in sumptione consistere et si probabile id foret, non satis esset ad inducendam obligationem: neque Ecclesia iubet fideles interesse Missae caeremoniis quae solae sint sine sacrificio.

(5) Et isti alii quidem, ut facile intelligitur, suam opinionem censuerunt *probabilior*. E quibus Suarez (*De Euch.* disp. 88. sect. 2.) a supplenda omissa parte excusat, sive involuntarius fuerit defectus, sive voluntarius; *quia* (inquit) *praeceptum est iam substantialiter impletum... illeque modus illum supplendi est valde imperfectus et non multum*

conducens ad Missae integritatem... et quia res morales non sunt adeo rigore expendendae, praesertim quando leviores sunt.

Praestat autem hic meminisse, incassum proponi aut urgeri obligationes, quoties probabilitatis finibus res continentur. Probabilis enim aut etiam probabilior obligatio non est obligatio, neque imponi licite potest ceu vera obligatio, quando probabilis est non obligatio, prouti superius in *Tract. de Consc.* traditum fuit. Quocirca probabilium eiusmodi obligationum mentio ad eruditionem aliquam deservire forte poterit, ad praxim vero et ad praescribenda officia conferre nihil potest.

PUNCTUM II. — *Attentio mentis.*

344. — Attentio ad Missam duplex distinguitur: 1^o *interna*, qua quis actu advertit et animum applicat ad ea, quae a Sacerdote peraguntur; 2^o *externa*, quae consistit in cavenda quavis actione externa, quae impediatur mentis applicationem, v. gr. confabulari, pingere..., etc.

Attentio autem interna triplex est: 1^o alia ad verba, et ad actiones Sacerdotis; 2^o alia ad sensum verborum et mysteriorum; 3^o alia ad Deum ipsum per preces piasve meditationes.

Principia. — I. Ad Missam valide audiendam requiritur omnino attentio saltem externa; quia nullo modo dici potest Sacro interesse, qui ponit actiones cum attentione interna impossibiles; imo ille impudenter Deo et Ecclesiae illudit. — *Ita omnes.*

II. Requiritur insuper attentio aliqua interna, et saltem voluntas audiendi Missam; quia id prorsus exigitur, ut auditio seu praesentia sit humana, moralis et ex obiecto religiosa. — Suarez, *de Euch.* disp. 88. sect. 3.

III. Sufficit autem interna quaelibet ex tribus modo expositis, sive scilicet sit ad verba, sive ad sensum, sive utcumque ad Deum. Ratio est, quia per earum quamlibet sufficienter applicatur mens ad cultum divinum, qui per Sacrificium intenditur.

IV. Nulla oratio vocalis absolute requiritur; quia assistentia religiosa Deum honorat, et nihil aliud praescriptum habetur. — S. Lig. n. 313. — In praxi tamen fidelibus, praesertim rudibus suadendum est, ut orationes aliquas recitent, imprimis orationes consuetas pro Missae auditione, vel rosarium beatissimae Virginis, ne nimis distractionibus exponantur.

345. **Quaesita.** QUAER. 1^o *An ad implendum hoc praeceptum requiratur sub gravi attentio interna?*

Resp. Controvertitur. I^a SENTENTIA, ex S. Alphonso *communior et probabilior, affirmat.* Etenim ab Ecclesia praecipitur actus quo Deus colatur; atqui per solam praesentiam physicam Deus coli nequit; ergo... Ecclesia igitur praecipiendo directe actum exteriorem auditionis Missae, videtur praecipere indirecte attentionem, saltem aliquam, tanquam conditionem sine qua non consisteret actus externus formalis — Ita S. Thomas. — Billuart. Elbel. Salm. et alii non pauci.

II^a SENTENTIA *negat.* Ratio est, quia assistentia cum voluntaria attentione, utut mere externa, est actus sufficienter religiosus, nec constat

aliud ab Ecclesia praecipi. — Ita Lugo, cum aliis multis et hoc dicit *probabile* S. Lig. n. 313., cui assentit Gousset, n. 553. (6).

Caeterum in praxi non apparet tanta differentia inter utramque sententiam. Etenim iuxta priorem sententiam sufficit omnino attentio in gradu remisso, nempe ad praecipuas Missae partes; iuxta posteriorem vero requiritur 1^o pius animae motus, seu vera intentio honorandi Deum; 2^o attentio talis, ut assistens Missae rationem sibi reddere possit, reapse Sacro se assistere, et consequenter ut saltem in confuso ad praecipuas partes illius advertat. Hinc non facile arguendi sunt fideles de culpa gravi ob defectum attentionis sufficientis in Missa, sed potius amanter adhortandi sunt, ut pie et sedulo ad divina Mystera animum intendant. Etenim, ait S. Lig. n. 313., post Elbel, Sporer et Tamb., nemo anxius esse debet ob scrupulum attentionis non praestitae, quia sufficit habuisse intentionem generalem colendi Deum.

346. QUÆR. 2^o *An satisfaciatur praecepto, qui tempore Missae peccata confitetur?*

Resp. Negant plures. Verum affirmativae sententiae sua non deest probabilitas, eamque admittunt plures Doctores (7). Generatim non vi-

(6) S. Alphonsus (lib. 3. n. 313.). *Primam sententiam* (quae hic secunda ponitur) *quam Croix* (lib. 4. n. 1341.) *vocat spectata ratione probabilioris et* (lib. 3. p. 1. n. 658.) *vocat communem, negari non potest, esse satis probabilem... Et a fortiori quoad Missam audiendam, cui sufficit praestare assistentiam moralem, ut dicunt AA. citati... quin expresse requiratur oratio. Saltem (dico) stante auctoritate tot tantorumque Doctorum hanc sententiam tuentium, sat dubia videtur lex ab AA. contrariis supposita, quae etiam ad attentionem internam ac ad orationem audientes obliget, cum plures graves DD., ut Less., Suar., Med., etc. doceant, ad Missam audiendam non esse opus orare, sed tantum intendere Deum colere.*

(7) Nonnullos vid. apud S. Alphonsum (lib. 3. n. 314.), qui tamen sic concludit: *Haec secunda sententia non videtur omnino probabilitate destituta, et olim probabilem ipse censui; sed quia post-*

modum observavi, eam a gravibus DD. reiici, modo non audeo probabilem dicere.

Verum vix apparet, ubinam sit excessus externae probabilitatis pro negante, cum etiam pro affirmante nec pauciores nec minus graves DD. ipse S. Alphonsus indicet, praesertim quod nonnulli pro negante prorsus abs re afferantur, uti, v. gr. Suarez et Azor, qui reipsa nihil de hac quaestione habent, et mere contendunt, generatim illicite omitti Missam, ut quis confiteatur, sicut illicite Missam quis omittet, ut audiat concionem.

Adde, quod pro negativa sententia ne ipse quidem S. Alphonsus decretorium ullum reperiat argumentum; quinimo ipsemet advertit, illius opinionis patronos in ratione afferenda sibi non cohaerere, sed alias ab aliis rationes afferri: quod indicio est, solidam aliquam ac manifestam rationem plane deesse.

Et sane quod spectat ad numerum doctorum eorumque gravium non habes pro sententia negante nisi Lugo: nam satis

dentur inquietandi hac de re fideles, neque scrupulus eis iniiciendus, quando Missae aliquo modo attendant.

aegre exhiberes ceu graves Doctores Collet, Pontas, Holzmann, Antoine et quosdam alios qualiscumque compendii scriptores, qui suffragio suo per se forte ne ad augendum quidem numerum suffragantium alicui opinioni quidquam conferunt: cum autem Suarez, ut mox dicemus, perperam pro negante opinione invocetur: unus ergo gravis Doctor superest Lugo. Huic autem apud S. Alphonsum (l. c.) videsis oppositos Lessium, Palaum, ac Reginaldum. Atqui, ut videre licet in scriptorum catalogo huic volumini praefixo, S. Alphonsus, teste clarissimo P. Haringer, Palaum ut auctorem omnino gravem, Lessium vero ac Reginaldum ceu *classicos* auctores habet. Non immerito igitur hic antea diximus, non pauciores nec minus graves Doctores a S. Alphonso pro affirmante sententia afferri, quam pro sua opposita. Quod vero spectat ad numerum qualiumcumque scriptorum, si quis plures et pro sententia affirmante videre cupit, praeter S. Alphonsum, Pellizzarium adeat (*Man. Regul. Tr. 5. c. 4. sect. 2. n. 50.*)

Dicimus porro, *abs re pro negante sententia Suarez et Azor produci*. Ut res breviter et clare appareat, distinguantur duae quaestiones cum Pasqualigo. Una est (Quaest. 1319.): *An satisfaciatur praecepto, qui audiens Missam, simul confitetur peccata*; et haec est quaestio, de qua in praesenti agimus. Altera est (Quaest. 1343.): *An maior utilitas spiritualis excuset ab audienda Missa*; et haec, uti patet, diversissima est, et cum praecedenti nihil commune habet. Atqui tum Azor, tum Suarez de hac posteriori agunt, non autem de prima. Et quidem ad id suadendum sufficiunt tituli Capitum, ubi quaestionem proponunt. Apud Azor enim est (part. 1. lib. 7. c. 7.): *De causis, quibus excusantur, qui rem divinam non audiunt.*

Et apud Suarez (in 3. part. disp. 88. sect. 6.): *Quibus modis excusari aliquis possit ab audienda Missa in die, quo praeccepta est*. Quaestio eorum igitur non est de eo, qui praesens adstet Missae ita tamen ut dubitetur, an rite et valide assistat, sed de eo, qui aliquam ob causam Missam omittit, seu Missae non adstetit. Proinde alia exempla omittentis Missam Suaresius addit tum in eo, *qui propter concionem audiendam, Sacrum omittit*, tum in eo, *qui Sacrum omittit, ut in suo cubiculo contemplationi Dei vacet*. Nihil mirum igitur, quod Pellizzarius (l. c.) moneat, nec Suaresium nec Azorium repugnare A. opinioni; de opposita vero opinione Leander (*De Audit. Miss. Tr. 2. disp. 1. q. 71.*) scripserit: *Citant hi Auctores pro hac parte Suarium et Azorium*; SED MALE CERTE; itemque Escobar (lib. 42. c. 9. dub. 35. n. 182.): *Citantur pro hac sententia Suarius et Azorius*; SED IMMERITO. Quod enim Suarez, exemplum afferens, loquitur de eo *qui tempore Missae confitetur*, non accipiendum de eo, qui confitens simul assistat vel intendat assistere Missae, sed de eo, qui confitetur, dum alibi Missa celebratur, cui interesse nequit ut confiteatur.

Dicimus tertio, S. Alphonsum pro sua sententia decretorium argumentum non reperisse, imo ipsum advertisse, illius sententiae patronos in afferenda ratione non esse concordantes. Nam perpensis rationibus ipse utramque sententiam iudicavit probabilem. Quod si postea dixit, non audere se dicere probabilem affirmantem sententiam, se ad id permotum fatetur utique extrinseca aliqua auctoritate (quae cuiusmodi sit, superius vidimus), non vero vi rationum, quas easdem omnino in postrema editione affert, ac in prima attulerat.

Et ut rationes istas paulo inspiciamus,

QUAER. 3^o *An satisfaciatur praecepto Ecclesiae Clericus recitans Breviarium tempore Missae?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia recitatio Officii divini non impedit, quin quis possit interesse sacrificio Missae, et moralem praesentiam ipsi exhibere. — *Ita communiter cum S. Lig. n. 309.* — Vide de Leg. 106.

347. **Resolves.** — 1^o Satisfaciunt praecepto ministrantes Missae; satis enim attendunt suum exhibentes ministerium, quo actualiter ad Sacrificium cooperantur. Idem dicendum est de sacristis, musicis, organistis, tympanistis, etc.; quia eorum actus ad Dei cultum referuntur, nec necessariam impediunt attentionem ad ea, quae in altari peraguntur. — S. Lig. n. 317. (8).

Collet cum Cabass. et Pontas (quos S. Alphonsus in posterioribus editionibus superaddidit prius allegatis), utitur (tom. 3. n. 351.) ratione, quod *attentio debet esse per modum orationis, qualis non est in perscrutandis culpis, earumque circumstantiis.* Atqui S. Alphonsus (l. c.) sic iudicat de hac ratione: *Bonac., et Bassaeus negant, quia non oraret; sed huic obstat, quod docent Suar., Less., etc., quod sufficit audire Missam colendo Deum, pro quo cultu oratio non est absolute necessaria.*

Aliam rationem promit S. Doctor, in quam recidit et ratio a Lugo allata *quia confitens tunc adesset ut reus, non iam ut offerens sacrificium cum sacerdote.* At enim quid est, quod S. Alphonsus non reiecit dicentes *cum communi* aut *cum communi*, satisfacere praecepto audiendi Missam sacerdotem, dum confessiones excipit? Numquid magis persona iudicis, quam persona rei congruit cum persona coofferentis sacrificium, aut externam magis attentionem Confessarius exhibet, quam poenitens, aut minus internae attentionis, seu intentionis (ut aiunt) *virtualis* alter prae altero habere potest? Cur satisfaciatur praecepto, ut concedunt, qui genuflexus ad confessionalis cratem, dum sacerdotem operitur, totus est in perscrutandis culpis earumque circumstantiis ac numero, hisque memoriae

ex ordine infingendis, non satisfaciatur autem eas Deo in persona ministri confitens? Cur sufficienter audit Missam, ut concedunt, qui extasim patiens vix materialem exhibet praesentiam, aut etiam Missam alterius audit sacerdos, dum ipse Missam celebrat? Ubinam reperis, dempta virtuali intentione, moralem praesentiam, attentionemve, quam requirunt, internam externamve? Quid est, quod et plerique, qui stant pro opinione negante, concedunt, confitentem sacramentaliter posse praecepto satisfacere, si aliqua ratione attendere et Missae possit? Quo abiit iam argumentum petatum a necessitate moralis praesentiae, qua ut offerens cum sacerdote ostendatur?

Concludamus: ubi validissimae adsunt rationes, nec labor in inveniendis nec discordia in iis aestimandis et adhibendis adesse inter probatos auctores solet; et rursus: ubi rationes sunt validissimae, non contingit, ut in similibus vim illae modo habeant, modo non habeant. Atqui duo haec de rationibus pro negante opinione depromptis evenire, ex dictis satis superque patet. Ergo.

(8) S. Alphonsus (lib. 3. n. 309.) dum consentit, praecepto satisfacere inservientes Missae, etiamsi recedant allatum necessaria, sic limitat: *Sic tenendum cum Elbel, Palao, et Bonac., si sit per breve tempus, VEL non exeat ab Ecclesia (in*

2^o Satisfaciunt, qui eleemosynas colligunt, modo ad Missam saltem confuse attendant — S. Lig. *ibid.* (9); si autem praevideant, se hanc attentionem praestare non posse, aliam Missam audiant, si commode possunt.

3^o Satisfaciunt, qui conscientiam tempore Missae discutunt, ut confiteantur, sacramentalem poenitentiam persolvunt, aut etiam orationem quovis titulo debitam faciunt; quia his mens ad Deum dirigitur, et aliunde duplici praecepto simul satisfieri potest, si res praeceptae possint eodem tempore praestari. — *Ita communiter.* — Item qui legunt librum aliquem spiritualem, non tamen historias sacras animo discendi stilum. — S. Lig. n. 314.

4^o Satisfaciunt, etiam qui involuntarie distrahuntur, toto licet Sacrificii tempore, nisi alienis cogitationibus ita abripiantur, ut nullatenus attendant; tunc enim non magis satisfaciunt, quam involuntarie dormientes per notabilem Missae partem, licet a peccato excusentur. *Ita communiter.* Dormitans autem interdum inter Sacrum satisfaciatur, aut saltem non graviter delinquit, modo aliqua ratione advertat ad id quod fit. — S. Lig. n. 316.

5^o Satisfaciunt, etiam quoad substantiam, seu a gravi culpa excusantur, qui voluntarie etiam toto tempore Sacri distrahuntur, modo simul attendant; hoc enim aliquando fieri potest, si distractiones non sint adeo vehementes, cum homo simul de pluribus cogitare possit. — Reuter, n. 284. (10).

6^o Minime autem satisfaciunt, qui de re seria confabulantur per notabilem Missae partem, vel imagines attente considerant, apparatus templi oculis lustrant, inscriptiones aut alia profana legunt, scientias me-

edit. autem an. 1748: *si sit per breve tempus et non exeat ab Ecclesia* contr. *Dic., Leand., et Dian. apud Salmant.* Sed allegati auctores non sic habent. Nam Bonacina (*De Sacr. disp. 4. q. ult. p. 41. n. 18.*), et Palao (*Tr. 22. disp. unie. p. 46. n. 7.*), et Elbel (*Conf. 12. in 3. Praec. n. 356.*) dicunt: *Dummodo ab Ecclesia non recesseris, nisi ad breve tempus*, prout referunt etiam Salmantiae. (*Tr. 5. cap. 6. n. 21.*) a S. Alphonso allegati.

(9) *Vere* (inquit S. Alphonsus n. 317.) *talis distractio non videtur esse incompossibilis, scilicet cum attentione, quae satis sit.*

(10) *Nihil aliud exigit hoc praeceptum, nisi quod quis incipiat audire*

Missam.... intentione attendendi, seu quantum in se est, vacandi Deo, et in contrarium animus iste non mutetur... Unde quoties praedictus dedita operam mentem a dicta intentione non dimovet, licet sit inter audiendum Sacrum... distractus, satisfaciatur praecepto.... Et quod plus est, ac pro tollendis multorum scrupulis maxime notandum, licet qui praedicto modo incepit audire Missam..., postea dum audit, ultro et advertenter circa alia mente divagetur, si non advertat, per hoc distrahi a Missa..., satisfaciatur dicto praecepto, quia hic non voluntarie distrahitur a Missa, et ideo virtute remanet prima attentio. Ita multis allegatis Salmanticenses (*De Sacrif. Missae cap. 6. n. 41-42.*).